DE

CAPITIS LAESIONIBUS

QUAE

TREPANATIONEM EXIGUNT

ADDITA PUERI TREPANATIONIS OPE FELICITER SANATI HISTORIA.

SPECIMEN

INAUGURALE MEDICUM CHIRURGICUM

QUOD

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS ANTONIUS WUNSCH,

HEILIGENSTADIENSIS.

H. L. Q. S.

DIE VIII. M. JUNII A. MDCCCXIX.

BEROLINI,

LITTERIS AUGUSTI PETSCH.

VIRO

PERILLUSTRI, GENEROSO,

EXPERIENTISSIMO

GODOFREDO LANGERMANN

MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS STATUS IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE ETC. ETC.

A privigno ejus
hunc libellum
ad donum accepi.

G. Wüstefeld

NEQUE MINUS

VIRO

ILLUSTRI, SPECTATISSIMO

CELEBERRIMO

THEODORO DAMIANO DE SIEBOLD

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI ARCHIDUCI HASSIAE-DARMSTADIANO A CONSILIIS AULAE ET RERUM MEDICINALIUM PLURIUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

VIRIS

SUMMOPERE COLENDIS

HOCCE SPECIMEN INAUGURALE

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

QUI BENE DISTINGUIT, BENE MEDEBITUR.

§ 1.

Trepanatio operatio est chirurgica, qua instrumenti cuiusdam ope, quod Trepanum sive modiolum dicunt, cranium eum ad finem terebratur vel perterebratur, ut, quodcunque cerebrum eiusve involucra vel irritando vel comprimendo detrimentum aegrotanti afferre, vel ipsum in discrimen vitae dare possit, aperta via removeatur. Prudentes quoque chirurgi hac operatione in quibusdam laesionibus capitis tamquam remedio praeservativo utuntur, quo istiusmodi morborum sequelas praecaveant.

§ 2.

Duplici vero ratione casus incidere possunt, qui trepanationem exigunt, modo enim vi quadam extrinsecus capiti allata, modo morbo quodam dynamico vel praegresso vel praesente, aut cranium aut cerebrum aut utrumque simul laesum est. Huius curationem medici in se suscipere debent, praeca-

vendo, ne laesiones istiusmodi eveniant, v. c. in morbis syphiliticis aliisve. Sin autem iam adsint, cum aeger curandum sese tradit, vel cohiberi medicamentis non possunt, res ad trepanationem rediit. Omnes vero mechanicae capitis laesiones opem chirurgicam utique exigunt.

§ 3.

Jam laesiones eiusmodi capitis mechanicae, quae aegrotantes praesens in periculum vocare consuerunt, curatissime percenseantur necesse est, et ea quidem ratione, ut cum ipsa iniuriae indoles, tum penitiores capitis affectus, qui inde originem duxerunt, rite pensitentur atque diiudicentur.

§ 4.

Maxime corporibus quibuscunque durioribus caput affligitur v. c. ensibus, glandibus sclopeto emissis, lapidibus, tegulis, fustibus, vel homo ex superiori loco delapsus caput corpori cuivis illisit. Semper hic quaerendum, utrum corpora laedentia acuta, an obtusa fuerint. Corpora enim acuta vulnerando seu incidendo magis nocent, obtusa contundendo.

§ 5.

Vim quod attinet, multum interest, utrum potentia nocens vehementia quadam, an impetu ac celeritate caput afflixerit, ubi laesiones graviores sunt metuendae. Peritus vero chirurgus non ex his solis

laesionis naturam coniectabit, quum saepius fieri possit, ut laesio capitis non gravis esse videatur, sed paulo post pessima symptomata superveniant.

§ 6.

Destructiones, quae inde oriuntur, vel in integumentis tantum communibus cranii, qualia sunt: cutis, musculi eorumque aponeuroses, vel in pericranio vel in cranio ipso vel in involucris cerebri membranaceis, vel in encephalo ipso sunt. Optime itaque capitis laesiones dividi possunt:

1) in Laesiones extra cranium,

2) in Laesiones cranii ipsius,

3) in Laesiones intra cranium.

§ 7.

Capitis laesiones in genere eo maioris esse momenti, quo obtusius fuerit instrumentum, per quod caput laesum est, quo majori vi capiti impactum sit, quo altius penetraverit, quo plures partes una laesae sint, luculenter apparet, inde enim coniicere licet, ipsum cerebrum detrimentum vel cepisse vel capturum esse.

§ 8.

Tentabo igitur, laesiones capitis pro partibus laesis, laesionumque variarum phaenomenis indeque deducenda peculiari curatione, exponere, singulas laesiones ad trepanationem relaturus.

SECTIO I.

§ 9.

Integumentorum communium laesiones, sint ceterum vel contusiones vel vulnera vel illae cum his coniunctae, ceteris paribus non periculosae sunt, praecipue si cerebrum non laborat. Ecchymoses a contusionibus ortae fomentis spirituosis cedunt, vulnera autem per primam quam dicunt intentionem citissime sanantur, agglutinatis emplastri taeniis et sicco imposito linamento, quod, ne frequentius renovetur cavendum est. Sollicite vero istiusmodi vulnera perlustranda digitisque et specillo quam curatissime tentanda sunt, si forte latentis alicuius laesionis suspicio subsit, quae peculiarem praecautionem exigat.

§ 10.

Laesiones itaque integumentorum cranii nunquam sunt parvipendendae, praecipue si ex instrumentorum quibus factae sunt, figura, vel impetu, quo vis allata est, vel ex laesae sensibilitatis symptomatibus talia coniici possunt. Minus metuendum de ambitu vulneris est, dummodo superficiarium id neque nimia vi impactum sit.

§ 11.

Saepius vero fit, ut ne minima quidem integumentorum laesio sub adspectum veniat, neque suggil-

lationibus neque vulnere aliquo usquam apparente, symptomata tamen laesae cerebri actionis pessima superveniant, quo in casu internae magis partes laborant. Saepe etiam laesiones musculorum vel galeae aponeuroticae pessimi sequuntur affectus v. c. inflammationes erysipelaceae, Trismus, Opisthotonus aliaque id genus mala.

§ 12.

In casu priori maxime timendae sunt rupturae vasorum intra cranium eorumque sanguinis effusio vel seri lymphaeve exsudatio partiumque vicinarum irritatio, pressio vel destructio, ubi curandum est, ut actio vasorum resorbentium augeatur, quod quidem optime fieri potest frigore ad caput ipsum adhibito et usu mercurii interno cum radice jalappae coniuncti, nimirum tali dosi, ut alvum laxam reddat. Tali modo periculum saepius avertitur.

§ 13.

Quod vero ad sanguinis detractionem perinet, quam instituere hoc in casu plerique solent, hanc securitatem tantum polliceri, si cerebrum ab omni commotione liberum est, persuasum mihi habeo. Ceterum sanguinis detractio praesens quidem auxilium affert, si sanguis intus vel effusus est, vel usque effunditur, summa vero in dignoscendo difficultas haeret; similia enim mera cerebri commotio symptomata

procreare potest, quae si facta est, exitiosa fere omnis sanguinis detractio evadit. Denique abstinere ab hoc efficaci remedio convenit, si sanguinem nimia copia effusum, vel internam cranii laminam fractam esse, coniectare licet.

§ 14.

His rerum sub conditionibus methodo praescripta per viginti quatuor horas incassum adhibita, cranium ante detonsis capillis et integumentis externis osse tenus incisis remotisque, utique perterebrandum est; melius enim videtur anceps auxilium experiri, aliqua affulgente salutis spe, quam aegrotantem certo periculo mandare.

§ 15.

Saepe aegrotus, si corpus quoddam obtusum in caput illisum fuerit, aliqua huius in parte tumore ab ecchymosi orta laborat, adsit extenum vulnus nec ne. Hic sollicite inquirendum est, num partes suppositae sint illaesae. Vulnus si adest, illico est dilatandum, item si symptomata cerebri graviora urgent. Haud raro enim accidit, ut sanguis sub integumentis cranii jam putrescat, cranium ipsum corrodet, indeque duram meningem cum pericranio intercedentibus vasis intime coniunctam, unaque arachnoideam et piam meningem et cerebrum ipsum male afficiat.

§ 16.

Quod si factum est, posthabita integumentorum cranii dilatatione, trepanatio protinus in auxilium vocanda est, alias enim certa mors supervenit. Constat vero, loca in cranio vehementius contusa quam citissime esse incidenda, ne sanies citius tardius collecta vitae periculum afferat.

§ 17.

Si pericranium, quod intercedentibus vasis cum calvaria intime coniunctum est, eique nutrimentum advehit (quod ex injectionibus clarissime elucet) vi quadam extrinsecus laesum, vel ipsum cranium destructum est, quod in contusionibus et vulneribus vel utrisque simul observatur, accidit, ut cranium ex parte ab eo separetur. Talem separationem haud raro sugillationes, inflammationes, putredo, caries et symptomata cerebri eiusque involucrorum consensualia sequuntur. Febris serius accedere consuevit.

§ 18.

Hoc malum in laesionibus sclopetariis maxime extimescendum et pessimi omnino ominis est, collecta enim sanies et diploën et internam calvariae laminam corrodit atque putrefacit. Necessarium vero est, cranium, integumenta communia dissecando, quam citissime denudare tabulamque externam terebrare, maxime si iam discolor fuerit, ne sanies in cavum cra-

nii penetret. Qua operatione peracta, initio cataplasmatum emollientium, deinde vero balsamorum naturalium et gummatum ferulaceorum, ut terebinthinae et myrrhae usu aegrotantibus plerumque auxilium fertur.

SECTIO II.

§ 19.

Calvaria ipsa pro varietate causarum vel fissa, vel fracta, vel contusa, vel intropressa, vel evulso fragmento spoliata esse potest.

§ 20.

Fissura (ῥαγὴ) cranii rima angustissima est sine ullo ossium hiatu, frequentissime quidem ipsa contusa in parte. Haud raro tamen in loco opposito, quam contrafissuram dicunt, vel prope partem laesam oritur. Modo in lamina externa, modo in interna tantum, modo in utraque sunt.

In his laesionibus inquirendis sollicite caveamus oportet, ne suturae et asperae occipitis partes nos fallant In dissecando vero periostio cavendum est, ne culter fissuras penetret.

Fissurae semper cum laesionibus vasorum coniunctae sunt eoque periculosiores, quo anguctiores, unde sanguis effluere non potest. Periculum eo magis augetur, quo serius deteguntur, praecipue si la-

mina interna sola est laesa, item, si in parte opposita v. c. in basi cranii sunt.

Hoc in casu Richterus, Dessaultius aliique celeberrimi chirurgi cranium non perforabant. Pottius vero, Mursinna atque Louvierus illico trepanationem adhibendam suadent. Mursinna experientissimus recte monet, eiusmodi cum laesione vasorum rupturas semper esse coniunctas, quae ocyus serius aegrotantem in discrimen vitae dare possint, trepanationem vero plurimis in exemplis inutilem esse, si symptomata iam graviora sapervenerint.

Terebrandae itaque sunt fissurae, si vis allata vehementior fuit, si fissura ipsa stellata, si laesio laminae internae metuenda et diploë contusa est, et symptomata laesi cerebri accedunt.

Idem agendum est, si fissuras vel extravasata sanguinis contraria adesse opinari licet.

§ 21.

Cranii fractura (κλάσις, κλάσμα) rima cranii latior est hians omninoque solutio continui magis conſpicua, quam fissura. Causae eius validae esse debent duraque meninx hic semper est laesa. Si cranii frustum solutum non simul est intropressum, si symptomata laesi cerebri desunt, aegrotantes, quod saepe observatum est, per se sanescunt. Quod quidem potest evenire facilius, quam in fissuris, quum humoribus effusis liberior

exitus pateat. Quum vero saepius symptomata cerebri peiora superveniant, melius est tamen trepanationem statim instituere, ea tamen ratione, ne frustulum cranii separatum a corona trepani tangatur et frictione partis solutae asperae cerebri involucra laedantur.

§ 22.

Diploë cranii in laesionibus capitis haud raro contunditur, si corpus quodcunque obtusum in caput illisum est v. c. glandes e selopeto explosae et vi tantum exigua in caput illapsae. Talem laesionem lacerationes vasorum semper sequuntur, quorum sanguis, nisi resorbetur, putrescit, laminam cranii internam corrodit vitaeque periculum minari potest. Richterus hoc malum optime descripsit. Exemplum tale etiam in Rustii commentariis periodicis est descriptum. Si hoc in casu sanguinis resorptio alio modo effici non potest, trepanatio quam citissime est instituenda.

§ 23.

Intropressio cranii, quam in junioribus tantum meram i. e. sine fissura vel fractura observari constat, trepanationem utique exposcit, nisi alio modo v. c. per elevatorium, foliolum myrtiforme cet. tolli possit. Symptomata cerebri gravia hanc laesionem comitantur, qualia sunt: hebetudo sensuum, vertigi-

nes, lassitudo artuum, dolores capitis, rubor faciei, paralyses, mydriasis, somnolentia, stupor, lethargus, vomitus biliosus, alvi et urinae incontinentia cet.

§ 24.

Saepe contusiones capitis vehementiores pessima laborantis cerebri symptomata insequuntur, deficientibus fracturae vel fissurae vel depressionis cet. indiciis. Hic internam calvariae laminam fractam esse spinamque duram meningem irritare coniicere licet, quam nullo alio remedio promptius quam trepanatione removeri, satis omnino inter chirurgos constat.

§ 25.

Praeterea trepanatio auxilium afferre potest, si calvaria longius per tempus integumentis nudata fuit, iamque discolor, alba, flava, fusca vel nigra est, si necrosis, caries quacunque de causa orta est.

§ 26.

Saepe fit, ut morbi nervosi varii a mechanicis cranii laesionibus originem capiant. Mihi notum tale exemplum est, quo viro cuidam validae constitutionis, qui ceterum optime valuit, malus iaculatorius inter ludos iaculatorios demissus cum ferro obtuso vertici illapsus est. Miser illico concidit, sed paulo post irritamentis variis adhibitis resuscitatus est. Longius inde per tempotis spatium optime valebat, post tres

vero menses in melancholiam incidit nulla ex alia causa ortam, qua sensim sensimque increscente, mortem sibi conscivit. In cadavere dissecto, ubi cranium fuerat ictum, exostosis magnitudine ovi columbini inventa est, quae sensim et pedetentim crescendo cerebrum compresserat. Caetera organa integerrima erant. Trepanatione haud dubie sanari potuisset aeger. Unde in morbis psychicis maxime attendendum esse ad praegressas capitis laesiones, facile intelligi potest.

SECTIO III.

§ 27.

Dura meninx pericranium quasi internum, intime cum calvaria coniunctum, aeque ac pericranium externum arterias in cranium demittit, indeque venas recipit. Haec membrana vel contusione et corruptione diploës vel fractura laminae cranii internae vel effusione sanguinis pessime saepe affici potest. Haud raro meningitis sequitur cum sequelis pessimis partiumque vicinarum internarum periculosissimis morbis. Et hoc quidem in casu cranium perterebrandum est.

§ 28.

Arachnoidea et pia mater modo laesione directa v. c. per lanceam, modo ex connexu cum dura meninge male affectae laborare eodem modo possunt,

quo periculum augetur, et curationis praeceptae efficacia extra omnem dubitationis aleam ponitur.

§ 29.

Cerebrum ipsum vi aliqua extrinsecus laesum, sive ad fabricam sive ad functiones sensorii respicias, vario modo laborare potest.

Substantiae integritas visibilis per quodcunque instrumentum valido impetu capiti adactum, praesertim si acutum illud fuerit, rescissis ipsius involucris, quolibet in loco et quocunque modo vulnerari potest. Laesiones tales sequi possunt haemorrhagiae, inflammatio (Encephalitis) suppuratio, fungi et sphacelus, saepe spinae cranii in id penetrant. Si ventriculi et basis cerebri et cerebellum et medulla oblongata adhuc integra sunt, trepanatis spem salutis affert, maxime, si symptomata laesi cerebri desunt.

Ratione functionum sensorii cerebrum modo irritatione, inflammatione v. c. a collecta sanie, vel spina ossea exorta cet., modo compressione v. c. ex intropressione partis alicuius cranii, indeque pendente functionum cerebri abolitione, modo mera commotione indeque orta paralysi laborare potest. Frequentissime autem morbi indoles veluti mixta est.

§ 30.

Jam quum ex laesis cerebri actionibus periculum aegrotantibus praesens imminere facile in ocu-

los cadat, cognitumque sit, plerosque id genus affectus mirificam inter se similitudinem exhibere, valde interest, singulorum discrimina paullo accuratius pernoscere, eorumque symptomata exactius aliquanto pervestigare.

§ 31.

Inflammatio cerebri eiusque membranarum vel a spina ossea, vel a pure anieve collecta excitata primitus in vasorum compage posita est, eiusque symptomata ad hanc referuntur, dum in omni commotione compressioneve cerebri nervorum compages primum affecta est, indeque eminentissima symptomata promanant.

Pulsus in inflammatione est frequens, plenus, durus, respiratio frequens, oculi suffusi lucem refugientes, calor animalis auctus. Secundum Pottium et Bellium una cum febre et sensu capitis obtuso convulsiones saepe et spasmi oriuntur. Praeterea serius inflammatio quam commotio intrat.

In stadio inflammationis primo methodo antiphlogistica fortiori est utendum, secanda est vena in latere laeso, hirudines loco affecto apponendae, sectio quoque arteriae temporalis, fomentationes frigidae ex aqua cum aceto vini, sale ammoniaco et nitro secundum Schmuckerum, clysmata ex aceto vel ex salibus neutris una cum iisdem medicamentis ore sumtis adhibitae, maxime prosunt.

Sin autem salutis spes medicum fefellit, et aegrotus frequenter inhorrescit, unaque pulsus iam inaequalis factus est, suppurationem exortam esse, coniicere licet, et sola prosperi eventus spes in trepanatione posita est, utique si spina ossea cerebrum continenter irritat.

§ 32.

Compressionis symptomata, sive causa sit partis alicuius cranii depressio, sive exostosis sive extravasatum cet. aut citius aut tardius intrare consuerunt.

In gradu inferiori debilitas irritabilis musculorum voluntariorum, lassitudo, sensus fatigationis, vertigo, somnolentia, languor et animi deliquia adsunt.

In gradu vero altiori paralyses, sensatio et motus voluntarius abolitus, stupor, mydriasis, oculorum tensio (Mursinna) incontinentia urinae et alvi, seminis profluvium, pulsus durus, plenus, inaequalis, intermittens; respiratio profunda, lenta, apoplectica, facies rubicunda, livida.

Si pus vel sanies vel lympha vel serum cerebrum comprimunt vel gangraena adest, signa cerebri inflammati antecesserunt.

His rerum sub conditionibus auxilium sola a trepanatione repetendum est.

§ 33.

Commotio cerebri, primum a le Dran paulo

accuratius descripta, laesio cerebri est mere dynamica. Causa est vis capiti per corpus obtusum vehementius illata. Aeger quasi fulgure tactus concidit unaque nervorum sensu destituitur et musculorum motus arbitrarius abolescit.

In gradu inferiori turbatis tantum systematis nervosi actionibus, hebetudo, memoria hebes, vertigo, somnolentia, prostratio virium subitanea adsunt, symptomata, quae per se utplurimum cedunt.

In gradu altiori stupor, lethargus, musculorum facultus motrix omnino deleta est; respiratio lenta, paralytica, pulsus parvus, lentus, mollis, vix sensibilis, facies pallida, plethora capitis nulla (oculi introversi, Mursinna), mydriasis.

Summo in gradu mors illico sequitur vel symptomatibus gravioribus paulo post supervenit. Methodus hic antiphlogistica et trepanatio salutem afferre non possunt, sed sola methodus exitans securitatem pollicetur.

Capillitio igitur abraso fomentationes calidae ex herbis aethereis et aromaticis ex vino gallico paratae v. c. ex arnica, mentha crispa vel mentha piperita, chamomilla Romana, absynthio cet., vel infusum sabinae cum aceto paratum, vel frictiones ex liquore ammonii caustici et tinctura cantharidum, sinapismi cum armoracia, aqua frigida capiti superfusa, ferrum

candens

candens et moxa secundum P. Frankium, errhina e naphthis, clysmata ex aceto, oleo terebinthinae, arnica, valeriana, chamomilla cum opio cet. sunt adhibenda. Richterus vomitoria praescribit. Deglutitione impedita, medicamenta aetherea idonea sunt v. c. aether sulphuricus, tinctura arnicae cum camphora et opio, olea aetherea, auctore Mursinna. Electricitas quoque utilis esse potest.

Aeger si tali modo suscitatus est, victu uti debet levi et nutriente, ut jusculis gallinarum, carne vitulina et vitello ovorum; medicamenta vero usque excitantia adhibenda sunt v. c. calamus aromaticus, radix caryophyllatae, cortex chinae, absinthium cet.

§ 34.

Si symptomata morbi varie inter se complicata sunt, curationem mixtam adhibere convenit. Strenuissime autem distinguendum est, quaenam symptomata praevaleant, quo ordine apparuerint et quomodo et quando caput laesum sit. Symptomatibus vero, quae maxime urgent, primum esse occurrendum, per se patet.

§ 35.

Quando cranium discussum unaque cerebrum eiusque membranae nimis laceratae sunt, vel fissurae et extravasata contraria in basi cranii existunt, trepanatio auxilium ferre nequit.

§ 36.

His propositis, iam clare elucet, trepanationem, quum unicum saepissime ad vitam servandam auxilium sit, magni habendam esse, contra detrimentum inevitabile afferre, si temere a medicis adhibita est, unde indicationibus satis luculenter expositis utique satisfaciendum esse, non est quod pluribus commonefaciam.

§ 37.

Locus, quo cranium terebrandum est, pro laesionis indole varius eligendus est. Calvariam ubicunque posse perterebrari, innumeris observationibus nostri aevi est confirmatum. Celeberrimus Mursinna pollicem a foramine magno optimo cum eventu cranium perterebravit. Hoc vero non probatur, omnes cranii partes aeque aptas ad trepanationem esse. Veteres enim chirurgi suturas, musculos, sinus frontales, tempora, lineam cruciatam ossis occipitis et angulum sphoenoidalem ossium bregmatis propter arteriam meningeam mediam ibi suppositam evitabant, nec quidem sine ratione. Nihilo minus vero optimo cum successu nostris temporibus, si aliter fieri non potuit, et haec loca frequentissime sunt perforata.

§ 38.

Suppellectilem quod attinet trepanationis, trepa-

num arcuatum cum coronis cylindriacis varii diametri in latere externo non sulcatis optimum esse instrumentum credo. Elevatoriis, de quorum formatione et emendatione artis periti multa disputarunt, facile carere possumus, si eorum loco, pyramide e corona remota, epitonium quoddam parvum longitudine, qua coronae fornicem non attingat, in cranii partem tollendam intorquemus et sublata corona, manubrii cuiusdam ope tesseram osseam exssissam tollimus.

§ 39.

De tempore, quo trepanatio est instituenda, in genere valet: quam citissime eam, quocunque in loco necessaria sit, adhibendam esse. Denique tantum abest, ut dignoscendi et formandarum indicationum difficultas fidem trepanationi derogare debeat, ut potius saluberrimis operationibus sit annumeranda, quod cum aliis exemplis, tum adnexa historia satis omnino comprobatur.

HISTORIA PUERI TREPANATIONIS OPE FELICITER SANATI.

Josephus Neid, Heiligenstadiensis, filius unicus dilectus parentum sanorum, quatuor annos natus, constitutionis validae, formosus, alacer, morbis gravioribus, si dentitionem difficilem et morbillos excipias, hucusque nondum laboraverat. Duo iam anni praeterlapsi sunt, quum pater die vigesimo quarto m. Maii tempore matutino circa octavam horam negotii cuiusdam causa horrei scalam adscendens subito fragorem pone se audivit. Hoc sonitu admonitus de scala despiciens filium se secutum superiori e loco incertae altitudinis delapsum sine clamore et motu in area plana adjacentem vidit. Ubi attonitus scalam descendit, filium elevat eumque concutit et iactat, sed ne minimum quidem vitae signum animadvertit. Filium igitur exspirasse opinatus, facie turgidum et lividum absque omni respitatione et vulnere visibili in cubiculum deportat. Scopulis ibi verritur et aceto lavatur. Interea respiratio cum suspirio rara et profunda, cum pulsatione cordis debili revertitur; sensus vero et motus spontaneus omnino desunt.

Physicus urbis una cum chirurgo quodam vicino

advocati puerum reficere tentaverant, sed frustra. Rebus sic sese habentibus et ego ad consilium vocatus sum. Puerum inveni lecto prostratum, facie turgida, habitu instar sopiti, respiratione lenta, profunda, apoplectica, pulsu rariori quindecies per quadrantem sexagesimae micante, duriusculo et pleno, calore animali non multum imminuto, oculis clausis, pupilla dilatata, influxum lucis clarissimae non percipiente, aphonia, sensatione penitus abolita, nam vellicatio et punctiones per aculam minime persentiebantur, motu spontaneo nullo. Vesica urinaria et intestinum rectum erant illaesa, neque alterum latus altero magis paralysi laborabat, vomitus iam et dolor in hypochondriis cessabant.

Balneum stillatorium, aether sulphuricus et alia irritamenta frustra erant tentata.

Jam quaerebatur de laesionibus externis. Excepto capite nullam partem corporis contusione aut vulnere laesam tuebamur. In tempore vero sinistro et quidem super partem squamosam tumor ab ecchymosi ortus, durus et lividus in latidudinem duorum digitorum transversorum patens sub adspectum venit. Quomodo cranium in loco laeso sese haberet, ob duritiem et tensionem tumoris perspicere non potui. Fomentationes Schmuckerianae interim iam per horam sine ullo levamine erant adhibitae.

Interrogatus quid faciendum esset, tumorem per

incisionem aperiendum suasi, quum contusio esset valida, et incisio caeteroquin nil detrimenti, maxima potius commoda afferre posset. Hoc modo insuper certi fieremus, num cranium laesum trepanatioque esset indicata, quum e contrario inter symptomata haec cerebri ancipitia mors brevi ut videretur subsecutura esset.

Quum vero de cultro disputaretur, pater filii acerrime adversatus se minime incisionem concessurum esse, nisi operatione certo servaretur affirmavit. Vitae periculum itaque saepius ei exponebatur, quod ex mora certissime sequi deberet. Nihilo minus tamen in sententia pertinacissime perstitit.

Octo igitur sanguisugae ad tumorem appositae sunt, quae sex circiter uncias sanguinis exsuxerunt, fomentationibus interim frigidis usque adhibitis. Contusio vero non adeo soluta est, ut cranium per integumenta secure jam explorare potuissem, etsi tumor ex parte imminutus esset. Sensatio, respiratio et pulsus jam nullam mutationem subierant.

Denuo igitur patrem rogavi, ut permitteret ecchymosin tantummodo aperire, quo malum pueri certissime levaretur et ex mora longiori pessimum eventum esse timendum; usque vero se concessurum negavit.

Fomentationes frigidae itaque per diem et noctem

continuatae sunt. Praeterea mixtura salina adhibita est; nam deglutitio pueri ne minime quidem erat impedita. Candidatum quendam chirurgiae nomine Droeder puero infelici custodem relinquentes nulla salutis spe decessimus.

Proximo mane die vigesimo quinto M. Maii ad puerum reveniens ne minime quidem eum mutatum inveni. Eodem stupore, respiratione et pulsu, habitu immutato in lecto jacebat. Noctem sine ulla pronunciatione et actione spontanea peregerat. Bis tantum evacuatio faecium et urinae erat secuta. Dr. Hartmann et Dr. Walpers, viri eruditi uterque Physicus, simul adfuere. Parentibus et hi operatione opus esse persuadere tentabant, sed uterque non valebat.

Puer tali modo, quod incredibile videatur, sed quod physici supra adducti testantur, et testimonio quod mihi in manibus est, a patre confirmatum est, duodecim per dies inde a tempore laesionis sine omni sensatione, conscientia et motu voluntario lethargicus decubuit, digestione, assimilatione, vegetatione, secretionibus et excretionibus integerrimis. Juscula interne tenuia farinacea, amylacea et ex carnibus suppeditabantur, una cum potu acidulo vegetabili, quae omnia sine cupiditate, sed commode deglutiebantur.

Duodecimo igitur die post laesionem, d. quarto

M. Junii me non rediturum esse professus sum, nisi operatio eodem die concederetur; nam de methodo exspectativa iam nihil amplius sperandum, et operatione omissa certam mortem ante portas esse facile intelligi poterat.

Parentes hac proposita sententia commoti, consenserunt et eodem die (die quarto m. Junii anni millesimi octingentesimi decimi septimi) tempore vespertino septima circiter hora praesente physico Hartmann operatio a me instituta est.

Abraso capillitio incisura cutis prima pone aurem sinistram a basi tumoris obliqua versus angulum sphoenoidalem ossis bregmatis longitudine trium phalangum usque ad pericranium facta est. Cutis a lympha coagulata et sanguine atro erat distenta. Jam indice, loco specilli, vulnus marginibus retentis scrutabar et illico margines scabros cum depressione partis cujusdam squamae ossis temporum persensi. Pericranium itaque in loco cranii laeso detorsi, quo facto livide pellucens id et fluctuans apparuit. Incisione facta sanguinis nigri circiter drachma effluxit. Pericranium ex parte a calvaria solutum scalpello altius incidi, ut de vera cranii laesione certior fierem. Jam clarum fuit, fracturam stellatam cranii adesse una cum depressione partis squamae ossis temporum. Forma fissae et ex parte depressae squamae ad hunc

fere modum se habuit (Λ.). Crura huius V romani inversi in speciem Τειχισμου ad basin squamae exierunt ad longitudinem unius phalangis inter se distantia. Angulus ipse erat intropressus et in sutura squamosa terminatus. Fractura vero hic finem non habuit, sed ex hoc puncto duae adhuc fissurae, per os bregmatis sinistrum, altera versus partem superiorem suturae lamdoideae, altera usque ad partem superiorem suturae coronalis producta erat. Intervallum singularum ab origine in latitudinem lineae unius et semis patuit indeque ad finem in forman Τειχισμου exibant. Ut indoles earum accuratius inspiceretur, incisionem versus os frontis produxi, similemque inde ab angulo depresso versus occiput feci scalpello, usque ad cranium ipsum, ut haec forma incisionum Y evaderet.

Pericranio iam in puncto depressionis a calvaria per manubrium scalpri, soluto, ope folioli myrtiformis et elevatorii communis partem depressam elevare conabar, sed nullo modo id perfici potuit. Integumenta itaque ossis bregmatis angularia una cum pericranio a calvaria verticem versus solvi. Ossi parietali hoc modo plane nudato, trepano arcuato usus, coronam cylindriacam diametri decem linearum, tres lineas a depressionis angulo, imposui.

Facili negotio cranium perterebratum est. Frustu-

lum osseum exscissum elevatorio simplici et foliolo myrtiformi sustuli. Os ipsum crassitie duarum linearum erat. Dura mater nec trepano, nec alio modo erat laesa, colore erat naturali, cerebrum micabat et ne minimum quidem extravasatum detegi huc usque potuit. Nec igitur dissecta est dura mater.

Quum vero duram meningem versus depressionem elevatorio simplici a cranio solvere conarer, extravasatum sanguinis nigri non putrefacti neque coagulati drachma subito profluxit, quod spongiae ope remotum est. Vulnere hoc modo mundato, os depressum sine magno opere sustuli eodem elevatorio. Elevatum in positu suo permansit.

Operatione tali modo peracta et sanguinis extravasato cerebrum comprimente remoto, vulnus nunc secundum normam Minorsii sine sindone et plumaceolis prima intentione emplastri adhaesivi taeniis contraxi. Superimposito linteolo complicato molli, fasciam circularem occiput et frontem ambientem applicavi. Deligatione tali modo perfecta, caput mitra lintea contexi.

Aeger durante operatione aeque ac postea ne minimum quidem signum sensibilitatis et reactionis exhibuit. Longius per tempus miserum maxima attentione observavimus, sed mutatio nulla symptomatum percipi potuit. Quum per biduum iam alvus

eius adstricta fuisset, dosis mercurii cum radice ialappae data est, quae effectum quoque exspectatum habuit; tres enim sedes secutae sunt.

Domum itaque reduces maxima exspectatione de futuris haesitavimus. Custos per noctem aegrum observare jussus est.

Postero mane quum domum aegri venissem, pater et custos hilares mihi ob viam venientes renunciavere: miserum secunda ab hora post operationem usque ad mediam noctem valde inquietum fuisse, prima hora post mediam noctem vehementer sese iactasse et saepe manus ad vulnus protendisse, sed nec gemuisse, nec locutum, hanc vero agitationem mane placidum in somnum permutatam esse. Sexta circiter hora matutina subito somno discusso et oculis apertis nomen pronuntiasse: Pater.

His certior factus lectum adii, et quam mutatum puerum inveni! Oculi erant mobiles, pupilla normalis; quum puerum interrogarem, quomodo se haberet, non responsit quidem, sed inténtione quadam me intuitus est, respiratione jam liberiori pulsuique frequentiori respondente, actiones voluntariae etsi adhuc debiles, tamen redierant, sensus, etsi adhuc hebes, tamen toto in corpore perspicuus.

Post aliquot temporis momenta, quum lectum reliquissem, ipse pueri vocem audivi, quum vocabulum pronuntiaret: Potare.

Tempore vespertino, septima circiter hora, redii. Puerum vidi maxime inquietum clamore anxio sese iactantem. Nihil eum placare potuit. Respirationem ac pulsum frequentiores inveni, pulsus enim tricies per quadrantem sexagesimae micuit. Calor animalis erat auctus. Statum huius exaltatae vitalitatis pro febre inflammatoria vulneraria habens praeter fomentationes frigidas Schmuckerianas saepius iteratas, pediluvia calida et mixturam salinam e kali nitrico et natro sulphurico adhibui, venam quoque secuissem, nisi symptomata mox decrevissent. Sanguinis detractione vero non opus erat; nam ad mediam noctem irritatio adeo erat deminuta, ut aeger obdormisceret et postero mane optime se haberet.

Vulnus itaque die sexto m. Junii non perscrutabar, sed splenia adhaesiva intacta remanebant. Ad vesperum pulsus frequentior aliquanto factus est. Qua de causa methodum leniter antiphlogisticam usque adhibui.

Die septimo m. Junii lintea nondum renovata sunt, quum aeger optime se haberet, neque pus collectum esse appareret. Febris ad vesperam non rediit. Totam per noctem bene dormivit.

Die octavo m. Junii, quarto igitur post trepanationem institutam, lintea renovavi. Vulnus benignissimae indolis visum est, ipsaque eius inflammatio effecerat, ut foramen, cui lobulus cutaneus ossis bregmatis suberat, tali modo cum hoc concrevisset,

ut elevari non posset. Os elevatum positum usque retinuit. Margines vulneris ubique sanissimas manifestabant granulationes et ubique per splenia adhaesiva contineri poterant, eo loco excepto, quo angulus fissae squamae fuerat intropressus. Calvariae color hic erat subfuscus, et ne exfoliatio subsecutura sit metui. Hanc itaque partem plumaceolo unguento basilico et tinctura myrrhae illito contexi et fasciam quam citissime applicavi.

Sic tertio et postea secundo quoque die deligationem puero optime valente iteravi, quo facto septem post hebdomades vulnus sine ulla exfoliatione perceptibili per reunionem, excepto loco intropressionis, erat clausum.

Foramen cranii hucusque iam tali modo substantia ossea est repletum, ut pulsatio cerebri apice digiti auricularis tuntummodo adhuc sit percipienda, de integerrima repletione ossis in hac aetate optime sit sperandum.

Quod sanitatem pueri attinet, hic tali modo hodie adhuc se habet, quod ex litteris patris video, ut pristinam sanitatem plane recuperaverit.

Habes itaque L. C. novum idque maxime memorabile praestantiae trepanationis exemplum, quod ut benevole accipias, etiam atque etiam rogo.

CURRICULUM VITAE.

Ego Carolus Antonius Wunsch, natus sum Heiligenstadii, in principatu Eichsfeldiae, decimo quinto ante calendas Maias anni millesimi septingentesimi nonagesimi parentibus optimis, patre Antonio Wunsch, matre Margaretha Opfermann. Octo per annos in Gymnasio eiusdem urbis a viris eruditissimis Lingemanno Directore, et Marksio, Sachsio, Gesenio, Turino, Schneidero et Ludolphio, Professoribus, litterarum primordiis instructus anno millesimo octingentesimo nono cum testimonio maturitatis Universitatem Georgiam Augustam adii.

Primum per semestre praelectionibus de logice Cel. Schulze, de mathesi pura Cel. Thibeaut, de historia litteraria universali Cel. Eichhorn s, de ethnographia Cel. Heeren interfui, nec non seminarium philologicum Cel. Heyne frequentavi.

Peractis his studiis, disciplinae medicae, chirurgicae et obstetriciae per triennium me dedi.

Disciplinis propaedeuticis, quales sunt: Historia medicinae universalis, historia naturalis universa, bo-

tanica, physica, chemia universa, anatome hominis et comparata, physiologia, pharmacia, pharmacologia et zoochemia ducibus Cel. Blumenbach, Meyer, Schrader, Langenbeck, Hempel, Strohmeyer j. et Kraus operam dedi. Medicinam vero practicam universam a beato Richter s. et Cel. Himly; chirurgiam universalem et specialem a Cel. Langenbeck, et artem obstetriciam a Cel. Osiander s. accepi. Imo nec defui cadaveribus dissecandis, examinatorio privatissimo in anatome cursuque operationum chirurgicarum ducibus Cel. Himly, Langenbeck et Hempel operam et tempus impendere. Unum praeterea per annum in nosocomio medico, chirurgico et obstetricio, moderantibus Cel. Himly, Langenbeck et Osiander s. practicarum exercitationum particeps fui.

Omnibus his viris celeberrimis humanissimisque maximas gratias habeo et ago.

Iamiam de impetrandis summis in medicina chirurgia et arte obstetricia honoribus cogitabam, quum conscriptione guestphalica praeter exspectationem avocarer, et arma tunc ferre me opportuisset, nisi mihi contigissit, ut collegium medicum Cassellense examini medico-chirurgico me submissum ad munera medici castrensis suscipienda idoneum invenerit. Quo facto per annum vices chirurgi chiliadis (chirurgien major) gessi.

Iam commisso proelio Lipsiensi statim Mühlhusiam profectus, nosocomio castrensi Borussico mili-

tum septuaginta, nullo adiuvante medico praefui, ipseque in typhum vehementissimum incidi.

Nihilo minus anno millesimo octingentesimo decimo quinto ad Perill. Goercke, medicorum castrensium Praefectum, operam meam denuo locaturus litteras scripsi, nec defuit ille litteris ad me scriptis mihi promittere, data occasione votis meis se satisfacturum esse.

Inde ab anno millesimo octingentesimo decimo quinto Heiligenstadii versatus vices hucusque chirurgi provincialis exhibui.

Hac casuum varietate jactatus autumno anni praeteriti Berolinum me contuli, examina a legibus praescripta subiturus.

Civibus academicis a Rectore Magnifico Weifs adscriptus praelectionibus Ill. Knape de anthropologia forensi, Cel. Link de pharmacologia, Ill. Horn de therapia speciali, nec non exercitationibus therapeuticis in nosocomio Caritatis per proximum semestre hibernum interfui.

Iam tentamine die octavo m. Februarii h. a. coram Ill. Rudolphio, et examine rigoroso die decimo sexto m. Februarii coram gratiosa facultate medica rite absolutis, summos in medicina et chirurgia honores apud gratiosum medicorum ordinem submisse ambio.

THE-

THESES DEFENDENDAE.

1.

Ut variolae ad varicellas relatae, sic scarlatina ad rubeolas se habet.

2.

Phthisis pulmonum venerea utique existit.

3.

Amauroseos duo sunt genera; alterum ex imminuta retinae receptivitate alterum ex imminuta retinae actione.

4.

Opium nec remedium sedans, nec excitans dici potest.

5.

Phellandrium aquaticum optimum in asthmate humido est remedium.

6.

In sectione caesarea plurimum pendet a temporis momento, quo instituatur.